

Ob 12



INDEX LECTIONUM

IN

LYCEO REGIO HOSTIANO BRUNSBURGENSE

PER AESTATEM

ANNI MDCCXLVI A DIE XX. APRILIS

INSTITUENDARUM.

PRAEMISSUS EST COMMENTARIOLUS IN LOCUM QUENDAM PAULINUM,
QUI PERTINET AD PRAEDESTINATIONEM DIVINAM.

Brunsburgae,
Impressit C. A. Heyne.

1846



INDEX LECTIUM

Wrocław, 1972

Wydawnictwo Uniwersyteckiego Centrum Wydawniczego

ul. Uniwersytecki Park 1, 50-139 Wrocław

KSIĄŻNICA MIEJSKA
IM. KOPERNIKA
W WROCLAWIU

~~Stadtbibliothek
Wroclaw~~

AB 1472

LYCEI REGII HOSIANI BRUNSBURGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S.

Non nescii estis, Commilitones carissimi, theologos non consentire inter se de divino decreto, quod dicunt, Praedestinationis. Ad hanc dissensionem tollendam quam plurimum valere illum locum, qui est in epistola, quam Paulus Apostolus scripsit ad Romanos (VIII, 28—30)¹⁾, hisce paucis vos monitos et edoctos velim.

Exponit Apostolus octavo capite illius epistolae, quam beata sit conditio quamque bona spes eorum, qui sint in Christo Jesu, h. e. Christianorum. Namque liberos praedicat a culpa et servitute peccati et ambulantes secundum spiritum; corpus quidem eorum mortuum esse propter peccatum, spiritum vero vivere propter justificationem, sed et ipsa mortalia corpora fore ut aliquando reviviscant transfigurata et clarificata. Hac spe eos vivere jubet laetos atque hoc solatio se consolari de multis malis, quibus nunc laborent et internis et externis. Haec enim mala sic praeponderari certissima glorificatione, aliquando futura, ut paene nulla sint tantumque abesse, ut illa Christianis obstant atque noceant; ut omnia, quaecunque diligentibus accidant, cooperentur in bonum; in quam quidem sententiam extremo capite negat esse quidquam, quod nos separare possit a caritate Dei, quae sit in Christo Jesu Domino nostro.

¹⁾ Rom. VIII, 28. „Scimus autem, quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. v. 29. Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. v. 30. Quos autem praedestinavit, hos et vocavit: et quos vocavit, hos et justificavit: quos autem justificavit, illos et glorificavit.“

Cum hisce, quae dixi, tali nexu cohaeret noster locus, ut eo contineantur, quibus nitatur certa illa spes de futura glorificatione. Quo loco quum jam videndum sit, quid dicat Paulus, illud quidem vel ante examinatum accuratius locum unusquisque prorsus negabit hoc dicere Apostolum, *omnibus*, qui, quod baptizati sint, pertineant ad ecclesiam Christi, ob hoc ipsum, quod baptizati sint, etiam sperare licere et pro certo habere, fore ut glorificentur. Hoc enim Apostolum non dicere, id quum evidens sit per se, tum patet etiam ex iis, quae idem alibi docet. Nam si singulorum Christianorum glorificatio non incerta est — nisi forte quis ab ipso Deo ejus rei certus fit — cur tandem Paulus ceterique Apostoli etiam atque etiam monent et urgent, ut unusquisque vigilet et oret et cum metu et tremore suam salutem operetur? Quapropter quum Apostolus Christianis Romanis omni asseveratione affirmat (v. 31. 35. 37. 38.), eos glorificatum iri, id sic accipiendum est, ut si belli dux exercitum incolumem per terram hostilem ducit. Quod quum dicimus, nemo credit milites *ad unum omnes* servari, *nullumque* capi vel interire, aut, ut omnes salvi domum redeant, satis esse *sacramento dixisse*. Sicuti vero in bello militum fiducia, qua sperant fore, ut res bene geratur, in prudentia et virtute ducis nititur: sic etiam Apostolus Christianos Romanos pugnantes cum malis jubere non potest bene sperare de victoria nisi propterea, quod Deus eos et velit et possit glorificare. Nisi enim Deus ita *voluerit* vel *decreverit*, ut ii, qui sunt in Christo Jesu, quibusque ob hoc ipsum sperare licet fore, ut cum eo glorificentur, assequantur quod sperant: dubia atque incerta est glorificatio et singulorum et universorum; *decretum* vero Divinum nulla vi expugnari postest. Atque in tali *decreto divino* omnem spem futurae glorificationis consistere, id his ipsis verbis dicit Apostolus. Ait enim *vocari* a Deo, *praedestinari*, *eligi* homines, atque versu trigesimo primo: „*si Deus pro nobis, quis contra nos,*“ quae quidem verba ex ipso nexu sententiarum apparet eo valere, ut dicat Apostolus: si Deus *decrevit* nos aliquando glorificare, quis impedire potest, ne glorificemur; quis efficere potest, ut non fiat, quod Deus fieri vult?

Ea, quae disputavimus, redeunt eo, ut Apostolus hocce Romanis scribat: *Quae excelsa ac beata sperent propterea, quod profiteantur doctrinam et sacra Christi, ea certissimum esse eventura; nam decrevisse et velle Deum, ut conformes fiant imaginis Filii sui — hoc est, ut in hac vita vincant mundum et postea participes fiant glorificationis — cum eoque ita juncti sint, ut ille sit ipse primogenitus in multis fratri-*

bus (v. 29.) ideoque tantum abesse, ut illis aliquid obstare et nocere possit, ut omnia, quibuscunque affligantur malis, cooperentur in bonum (v. 28.); hinc monet, ut bono animo sint neve, quidquid accidat, perturbentur et angantur; namque immutabili decreto Dei certam esse eorum victoriam ac salutem. Simul vero etiam illud tenendum est — id quod jam monuimus — quod decretum divinum inexpugnabile sit, inde minime cogi, ut unusquisque Christianorum Romanorum glorificetur. Quae quidem res clariore etiam in luce ponitur, si ea, quae Apostolus Christianis Romanis scribit, ad universam ecclesiam referimus; id quod non dubium esse potest, quin fieri liceat. Ipse enim Apostolus usu pronominum: *nos* — *nobis* aperte indicat, quae dicat, non solum in Romanos sed in *omnes* Christianos valere. Quod quum ita sit, jam ita dicendum erit, decrevisse Deum, sic praeesse *ecclesiae Christi*, ut omnibus obstaculis et malis superior fiat, atque in hac terra sit communio sanctorum secundum imaginem Filii Dei et postea particeps fiat glorificationis, quae fuerit Christi glorificati a Patre suo. (In transitu monuerim, dici licere, Deum illud decrevisse admissa illa praecatione, qua Christus usus est pridie quam quae passus est acciderunt (Joan. XVII.); ipsa vero Christi praecatione teste uti licere illius divini decreti.). Igitur stabit ecclesia Christi usque ad ultimum diem semperque erunt, qui non modo vocentur Christiani sed etiam sint, hoc est, qui sancte vivant Deoque cari sint; quotcunque ecclesia premetur malis et externis et internis, non peribit in illis neque unquam accidet, ut nulla omnino sit Christianorum fides, spes, caritas animique pietas et vitae sanctitas; neque enim *pōtest* fieri propter immutabile Dei decretum. Quod Dei decretum qui non reputat, is fieri posse concedat necesse est, ut ecclesia desinat esse communio sanctorum et omnino nulla sit ne nomine quidem relicto Christianorum. At obstat illud decretum divinum. Quidquid zizaniorum inimicus hominis superseminabit in medio tritici, non tamen interibit triticum suffocatum; neque enim unquam interire potest, illud, quod Deus salvum vult.

Quid valeat ista asseveratio, qua Paulus (l. c.) ceterique Apostoli et ipse Jesus nobis idem affirmant, jam erit nemo, qui non videat; patet enim in promptuque est, illam id valere, ut qualiscunque sit conditio ecclesiae, non desperare liceat, sed bono animo esse debeamus fortesque et constantes maximis in malis. Simul vero illud etiam apparet, inde, quod pro certo scimus fore, ut *ecclesia* stet incolumis, non id

cogi, ut *omnes* Christiani suam quisque victoriam et salutem exploratam habeant. Ipsa quidem *ecclesia* certissimum est fore ut stet per omne tempus, neque unquam portae inferi praevalerent adversus eam, ²⁾ in *singulos* vere *Christianos* semper valebit illud: *vigilate et orate, ut non intretis in tentationem,* ³⁾ et: *cum metu et tremore vestram salutem operamini,* ⁴⁾ et: *magis satagite, ut per bona opera certam vestram vocationem et electionem faciatis.* ⁵⁾

Sed hisce nondum plene et perfecte aperuimus, quae in loco nostro inest vis atque potestas; quanquam, quae adhuc restant dicenda, ejusmodi sunt, ut ex iis, quae jam dicta sunt, sequantur necessario; atque ea etiam, quae singula persequitur Apostolus, inde apta esse totaque pendere agnosces, si modo reputaveris, illud decretum divinum, quo continetur victoria et salus *ecclesiae*, non aliter perfici posse nisi sic, ut sint *Christiani*, qui reportata de mundo victoria glorificentur. Quod enim docent libri sacri, *ecclesiam* Christi semper salvam fore, id apparet non aliter fieri posse nisi ita, ut *ecclesia* perpetua temporis serie usque ad novissimum diem ea, qua Christus jussit via et ratione, (per Sacramentum baptismi) novos acquirat socios inter universosque socios semper sint, qui in fide, caritate, spe ambulent vereque sancti sint, animo et moribus imaginem Unigeniti referentes, atque ut illi perseverantes usque ad finem, sicuti compassi sunt, sic etiam conglorificentur. ⁶⁾ Itaque si Deus, eam, quam diximus *ecclesiam*, non modo praescivit sed etiam aeterna sua voluntate praedestinavit, — id quod confirmant omnes libri sacri —: tum etiam dicendum est, Deum ex aeterno decrevisse et voluisse sic praeesse *ecclesiae*, ut non modo nunquam desint in hac terra, qui *Christiani* appellentur, sed etiam, ut inter hos — plures paucioresve numero — justi sint, qui morientes tales reperiantur, ut iis donari possit vita aeterna et beata. Qui justi quot sint numero, id nos quidem nescimus — neque enim quisquam nostrum absolute certus esse potest, num ipse in numero eorum sit — sed non nescit Deus. Deus enim quum omnisciens sit, omnesque cogitationes hominum de longe intelligat, ⁷⁾ quis est qui dubitet, quin illud sciat. At non modo *scit* Deus, quot quique justi futuri sint, sed quos ex aeterno *praescivit* aliquando suos fore, eos etiam *praedestinavit* suos fieri. Nam si Deus illos *praescivisset* tantum, neque etiam *praedestinavisset*,

²⁾ Matth. XVI, 18. — ³⁾ Matth. XXVI, 41. — ⁴⁾ Phil. II, 12. — ⁵⁾ II. Petr. I, 10. —

⁶⁾ Rom. VIII, 17. — ⁷⁾ Ps. CXXXVIII, 3. —

victrix per omne tempus ecclesia, quam apparet sine illis justis omnino nullam esse, non voluntate sed praescientia divina contineretur. Igitur qui agnoscit, ecclesiae salutem ac tot tantisque in procellis incolumitatem acceptam referendam esse clementiae et gratiae Dei praesidis — quod quidem praesidium et ipsum index et testis est decreti divini — hoc igitur qui agnoscit, is illud etiam agnoscat necesse est, omnes, quorum per sanctitatem constat ecclesia, ipso illo decreto a Deo praedestinos esse, ut fiant, qui facti sunt et qui fient, vel ratione inversa, qui hoc, is cogi potest ut agnoscat illud. Atque in hanc quidem sententiam accipiendam esse dicimus illa verba Apostoli: ⁸⁾ „Quos praescivit, eos praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui“ hujus vitae sanctitate et futura post hanc vitam glorificatione, idque factum esse ait Apostolus propterea „ut Filius sit ipse primogenitus in multis fratribus“; quibus quidem verbis illud, quod diximus, decretum divinum continetur. — Sed illud quoque cum Apostolo dicendum est, quos Deus ex aeterno praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, eos etiam ex ipso illo decreto in tempore ad ecclesiam Christi vocavisse, quosque ex suo decreto vocaverit sanctos sive Christianos, iis Deum sua gratia etiam talem ducem fuisse, ut hujus vitae sanctitate conformes extiterint imaginis Filii sui mortuique cum Christo glorificati sint. ⁹⁾ Atque hoc quidem patet in omne tempus valere et in praeteritum et praesens et futurum. — Sed illud etiam assentiendum est Apostolo, qui secundum decretum divinum vocati sunt Christiani et ob hoc ipsum sancte vivunt diligentes Deum, iis omnia, quaecumque istis accidant, cooperari in bonum. ¹⁰⁾ Quos enim Deus praedestinavit, ii sunt iidem illi, per quos ille ecclesiam suam omnibus malis superiorem voluit eamque ob causam fieri non potest, ut unus ex iis pereat. Quod qui dicere velit fieri posse, ut unus pereat, is dabit perire posse omnes, ideoque defendere debet, posse non fieri illud, quod Deus fieri decreverit et voluerit — ut salva sit ecclesia —; id quod absurdum est. ¹¹⁾

Atque his quidem absoluta est interpretatio loci Paulini. Nititur haec interpretatio in illa asseveratione, qua Apostoli saepius affirmant, ecclesiam Christi Deo duce incolumem

⁸⁾ v. 29. „Nam quos praescivit, et praedestinavit conformes fieri imaginis Filii sui, ut sit ipse primogenitus in multis fratribus. — ⁹⁾ cf. v. 30. „Quos autem praedestinavit, hos et vocavit; et quos vocavit, hos et justificavit; quos autem justificavit, illos et glorificavit.“ — ¹⁰⁾ v. 28. „Scimus autem quoniam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, iis, qui secundum propositum vocati sunt sancti. — ¹¹⁾ cf. v. 31 — 39.

et salvam fore in aeternum summaque totius loci eo redit, ut Apostolus doceat, quomodo Deus perficiat, quae decreverit. Ait enim — ut quam proxime ipsum dicentem sequar — haecce: „*Pro certo scimus, regnum Dei, quod Christus per sanctum Spiritum constituit, nunquam interituum. Praeest enim et providet ei ipse trinus Deus, qui est omnisciens atque omnipotens. Hinc nihil est, quod affligamur animo et angamur de malis, neque quae urgent praesentia, neque quae restant futura. Cuncta enim valent nihil adversus nos, qui sciamus, omnia, quaecumque nos premant mala, non modo non nocitura esse, sed contra cooperatura in bonum (v. 28). Nam victoriam et salutem nostram Deus non modo praescivit, verum etiam aeterna voluntate praedestinavit. Decrevit enim et voluit Deus, ut Unigenitus suus ipse sit primogenitus in multis fratribus. Hinc Deus non solum praescit, qui fiant sui, sed omnes, quos aeterna sua scientia suos agnoscit, praedestinavit etiam fieri suos, hacque praedestinatione voluit, ut conformes fiant imaginis Unigeniti sui et in hac vita et post hanc vitam, ut ille sit ipse primogenitus in multis fratribus (v. 29). Quos vero Deus aeterna voluntate praedestinavit justos et glorificatos, eos vocat etiam in tempore ad ecclesiam; quos autem vocavit, eos et justificat; quos autem justificavit, illos et glorificabit (v. 30). Igitur si Deus sic pro nobis est, quis valet esse contra nos? Quis nos separare poterit a caritate Christi? Nihil omnino, neque quod in terra neque quod supra terram est. Erimus superiores omnibus propter eum, qui dilexit nos (v. 31—39).*

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGICI.

ANTON. EICHHORN, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Jus canonicum tradet singulis per hebdomadem diebus hora IX—X.
- II. Antiquitates ecclesiasticas docebit diebus Lunae, Martis et Jovis h. III—IV.

PETR. THEOD. SCHWANN, DR. P. P. O. H. T. RECTOR.

- I. Disseret de creatione et gubernatione mundi diebus Lunae, Martis et Jovis h. VI—VII.
- II. Doctrinam de SS. Sacramentis tradet diebus Lunae, Martis et Jovis h. X—XI.
- III. Güntheri theoriam creationis et incarnationis explicare perget diebus Mercurii et Saturni h. X—XI.
- IV. Repetitiones disputatorias de rebus dogmaticis volentibus offert d. Veneris h. X—XI et h. VI—VII.

MICH. JOS. KRÜGER, LIC.

- I. Evangelium Joannis explicabit diebus Martis et Jovis hora VIII—IX. et diebus Mercurii et Veneris h. III—IV.
- II. Librum Ruth interpretabitur die Saturni h. VIII—IX.
- III. De antiquitatibus sacris Hebraeorum disseret diebus Lunae, Mercurii et Veneris h. X—XI.

JOAN. GEORG. SMOLKA, LIC.

- I. Jesaiae vaticinia explicabit dd. Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII.
- II. Ethices christianae catholicae partem primam tractabit diebus Lunae, Martis, Mercurii et Veneris h. VIII—IX.

B. ORDINIS PHILOSOPHICI.

LAUR. FELDT, DR. P. P. O. H. T. DECANUS.

- I. Historiam Geometriae inde ab antiquo aevo usque ad nostra tempora adumbrabit, h. XI — XII. diebus Lunae et Jovis.
- II. Geometriam sublimiorem secundum librum a cel. Biot editum: Essai de Géométrie analytique etc. continuabit diebus Martis, Mercurii et Veneris h. XI — XII.
- III. Calculum differentialem, integram et variationum tradet, et problemata geometrica et mechanica calculi integralis ope solvenda proponet diebus Lunae et Jovis h. II — III.
- IV. Geographiam mathematicam, physicam et Atmosphaerologiam tradet, et usum instrumentorum meteorologicorum ac praxin observandi ostendet diebus Martis et Veneris h. II — III.

CAR. BIESTER, P. P. O. des.

- I. Taciti historias ter per hebdomadem
- II. Terentii Andriam bis per hebdomadem
- III. Platonis Symposium ter per hebdomadem interpretabitur.

MAX. TRÜTSCHEL, DR. P. P. E.

- I. Psychologiam empiricam docere perget quater per hebdomadem diebus Lunae, Martis, Mercurii, Jovis hora vespertina V — VI.
- II. Metaphysicam docebit quater per hebdomadem iisdem dd. hora matutina VIII — IX.
- III. Exercitationes repetitorias et examinatorias instituet die Saturni hora VIII — IX.
- IV. Explicandos offert praecipuos libros metaphysicae Aristoteleae bis per hebdomadem.

STIPENDIUM SCHEILLIO-BUSSIANUM.

Thema anno praeterito propositum, videlicet:

„Historia Antitrinitariorum, qui ex ecclesia nonnunquam prodierunt, e fontibus, quoad fieri poterit, narretur, eorumque sententiae proponantur atque refutantur“

unus quidem tantummodo, quod dolendum, elaborare conatus est. Cujus opusculi auctor, quum cum diligentia praesertim in requirendis fontibus laudabiliter versatus sit, ordo theologorum eum constituto praemio XXI imperialium dignum esse censuit.

Reclusa schedula prodiit nomen:

Ludovicus Strunge Roesseliensis.

In solvenda quoque ea quaestione, quam summe venerandus Episcopus Varmiensis de Sacramento poenitentiae posuit, unus tantum periclitatus est. Judicaverunt theologi, scriptorem in tractando hoc argumento diligenter et circumspecte et satis libere versatum esse. Hoc tanti aestimarunt, ut ignoscentes iis, quae in libello insunt non probanda, scriptorem praemio non indignum censerent.

Aperta schedula apparuit nomen:

Joannes Brock Frauenburgensis.
